EPIPHANUS / CASSIODORUS

um 1170/1180 Seite 38v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=900
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et velut iniustum eius factum ecclesiasticisque sanctionibus dissonans arguebant. His ita conscriptis addiderunt: quia si susciperet iulius dampnationem ab eis factam et ordinatam. episcopos in dampnatorum loco firmaret. pacem cum eo et communionem haberent; si vero placitis eorum resisteret contraria celebrarent. quippe cum orientales episcopi non restitissent. dum novatus a romana pelleretur ecclesia. De his autem quippe. que preter commune placitum de niceno concilio gesserant; nichil ei scribere maluerunt.

Hec itaque orientales Socrates. xvii. episcopi iulio romano pontifici rescripserunt. Cum vero athanasius alexandriam fuisset ingressus. compressio populi partis georgii qui illic fuerat ordinatus episcopus. vehemens facta est. et ex hoc dicebant turbas et neces hominum provenisse. Et huiusmodi crimina in athanasium velut auctorem sceleris referebant; dum hec in certaminibus frequenter eveniant. Ob quam causam sabinus macedoniane presul hereseos. athanasium frequenter accusat. Qui si cogitaret quanta mala contra athanasium et omousianos arriani gesserunt. aut quanta concilia. propter eum celebrata sunt. aut quanta contra omnes ecclesias. macedonius heresiarchus gessit: erubescens forte tacuisset.

Constantius igitur xviii. imperator in anthiochia degens. cum audisset rursus paulum constantinopoli susceptum. philippum qui tunc habebat maximam inter alios iudices potestatem. et post principem secundus appellabatur. misit ut paulum ecclesia pelleret et macedonium introduceret. Prefectus autem philippus sedicionem populi metuens: arte usus est adversus paulum. et iussionem quidem principis celavit simulans autem publicum esse habiturum tractatum processit ad thermas vocabulo zeusippas. ibique cum honore quasi necessario vocavit paulum. Cumque venisset. repente prefectus sacra monstravit imperatoris. Et episcopus quidem illic iniustam sententiam patienter tulit. Porro prefectus metuens multitudinis impetum que ibi convenerat. propter timorem famam. unam fenestram thermarum iussit aperiri. per quam ad palatium ductus paulus. et missus in navem ad italiam paratam. velociter ductus est in exilium. Iussitque prefectus ut tessalonice servaretur. ex qua paulus fuerat oriundus quatenus illic licenter viveret: et in aliis illirici civitatibus non tamen ut ad partes orientis accederet. Hoc itaque modo paulus inopinabiliter: de ecclesia pulsus est. Philippus autem a thermis ad ecclesiam properabat. cum quo macedonius residens in vehiculo cum prefecto simul et milites armati. Hoc facto terror apprehendit populum. et ad ecclesiam concurrerunt universi omovsiani simul et arriani. Cumque prefectus cum macedonio ad ecclesiam pervenisset. et populum et milites irrationabilis timor invasit. Dumque esset nimia multitudo. nec posset introire prefectus. milites ceperunt populum violenter impellere. Et cum propter angustiam loci recipere non valerent. putantes eos milites se velle resistere. evaginatis